



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1624. usque ad annum 1627

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1778

VD18 90118863

§. 87. Cyrilli Lucaris Pseudo - Patriarchæ Constantinopolitani studium in
propaganda Calvinii secta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67369)

pretiosis mercibus graves Turcis eripuerint. Inde vero Achmetes tanta exarsit rabie, ut a Batavis Anglisque pacem initam turbare intentis sollicitatus, omnes Jesuitas, sub obtentu, quod librum Alcorano adversum divulgassent, Græcia excedere, Christianos vero opifices, qui altiore pretio montam receperant, auribus ad officinarum portas affigi, & Cadium quemdam seu Turcicum Jurisperitum, eo quod adversus Regiminis normam declamasse diceretur, laqueo suffocari præciperet: ne tamen Jesuitæ expellerentur, anno sequenti obstitit Cæsius Franciæ Regis Legatus.

§. LXXXVII.

Cyrilli Lucaris Pseudo - Patriarchæ Constantinopolitani studium in propaganda Calvinæ sectæ.

Haud ultra dissimulanter Cyrillus Lucaris Constantinopolitanus Patriarcha Calvinianæ sectæ præceptis favēbat, Religionem suam ad quamvis auræ flatum vetere jam assuetus; quippe ex Turco Græcus, ac demum Calvinianus hybrida effectus, ubique se sceleratum, perfidum ac versipellem Virum exhibebat, hoc autem anno, ut a Græcis haud immerito vexatus, Bata-

Du Pin hist. de l'Ecclis. tom. 4.

Vid. supra l. 190. §. 31. t. 55. p. 245.

Sæc. XVII. Batavos sibi propitios redderet, quosdam adolescentes Græcos in Hollandiam instituendos emisit, qui deinceps per Græciam, quod ibi hauissent, virus Calvinianum spargerent: Conscriptit quoque fidei suæ confessionem Carolo I. Angliæ Regi a se nuncupatam, quam Hollandiæ Orator Genevæ typis edi curaverat.

§. LXXXVIII.

Gravis contentio inter Angliæ Clerum sæcularem & Regularem.

*Dupin. l. c.
pag. 299. i
Abrege
chron. de
Hist. Eccl.
tom. 3.
Argentre
Conc.. Fac.
Paris. t. 2.
pag. 340.*

Proximum erat, rebus profanis in Anglia oppido turbatis, Clerum quoque sæcularem & Regularem inter se diro schismate non sine maximo Ecclesiæ damno, populique offensione collidi. Hujus autem dissidii, quia tempus, & res monent, narrationem ab ovo, quod ajunt, accersere, & ad mala, nullis ambagibus pro rei gestæ veritate deducere lubet. Sic autem ea res se habuit. Submiserat Gregorius XV. Pontifex Maximus in Angliam Guilielmum Bishopium Sorbonæ Doctorem ac Episcopum, qui tanquam Sedis Apostolicæ Delegatus Catholicum hujus Regni populum pasceret ac regeret. Eo fati functo Urbanus VIII. Gregorii Successor subrogabat Richar-